

Christoph Sturtz

**MEMORIAE || Optimi HEROIS ac illu-||strissimi Principis,|| DNI. IOANNIS,|| Ducis
Megapolensium:|| ORATIO || A || CHRISTOPHORO STVRCIO || I.V.D.||
pronunciata.|| ROSTOCHII || Die 28 Aprilis in publico Auditorio || Anno 1592.||**

Rostock: Möllemann, Stephan, 1592

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1743250754>

Druck Freier  Zugang




MEMORIAE
Optimi HEROIS ac illu-
strissimi Principis,
DNI IOANNIS,
Ducis Megapolensium:
ORATIO

A

CHRISTOPHORO STVRCIO
I. V. D.

pronunciata.



ROSTOCHII

Die 28 Aprilis in publico Auditorio
Anno 1592.

Typis Stephani Myliandri.

MNK - 1125 (3)¹³

OPUSCULUM
HEROIS ac illu-
strissimi Principis
DNI IOANNIS
Duci Megapolitanorum
GRATIA

CHRISTOPHORO STYRCIO

Universitäts-
Bibliothek
Rostock



ROSTOCKI
Dni 23 Aprilis in publica Medice
anno 1792

19

ORATIO
DE DVCE IOANNE ME-
GAPOLITANO principe optimo.

NTane ergò plena sunt luctus & lachry-
marum omnia, vt dum vix Principem
Christophorum defleuimus, iam mox
triduo post alterum deflendum nobis
principem Iohannem, Gubernatorem
patriæ verè suauissimum, optimum ac
pientissimum fata constituerint! Mens obstupescit me-
ditatione tanti mali, tanti doloris, tantæ tamq̃ inspera-
tæ calamitatis! Quid opus est, vt ego quali quali, mi-
nus sanè comptâ oratione acerbissimum hunc mortis
casum Illustrissimi Principis defleam! En facies cœli
tristis nostram defert miseriam! En publicus patriæ
mæror quantus! En omnium procerum pullæ vestes!
quid arguunt? nigræ mortis metum præ luctu sibi ob-
versari. En demissa in terram capita! quid testantur?
nos membra eius, capite adempto, jacere squalida: &
illo in cœlum abrepto, in terris calamitosa & misera re-
manere. Eheu omnes meritò dolent, quòd optimo se
ac verè salutarì bono, erepto sibi hoc principe, priuatos
agnoscunt. Quid nostræ musæ? Quid pulpita schola-
rum? Quid decora reliqua? Ecce dolent, lugent, mœ-
rent. Patronum illæ amisère bonum, Mœcenatem a-
misère munificum, Dominum amisère clementissi-
mum. Hic princeps decus erat Ecclesiæ, custos publi-
cæ pacis, amans literarum, ornamentum studiorum,
Hunc fata eripuerunt. Inuidane? imò sacra. O imper-
scrutabilia iudicia domini! O quàm viæ Iehouæ sunt
imperuestigabiles! O parçæ diræ! quare è medio cur-
su hunc

su hunc nobis principem abripuistis? Sed quid ego
causam quaero? indignitas nostra hanc poenam meruit.
Quis cogitasset hæc vnquam? O nos dementes, qui
non præcognouimus hæc vnquam, vt morum sanctitate
& cordis ad Deum conuersione, hæc bona nobis fa-
ceremus perpetua. Sed quid ego queror? lachrymæ
tamen testantur dolorem: sed nihil præterea profici-
unt. Testes sunt publici mali: sed nec recuperant a-
missum, nec vllum bonum proferunt. Laus optimi
principis est perpetua, memoria est in benedictione.
Nihil eius causâ lugendum, nihil dolendum est: quic-
quid mœremus, nostrâ id causâ facimus.

Et quoniam certa fide subiectionis & ministerij nos
optimo principi deuinctos scimus, nec vllum gratum
hactenus studium vel officium præstitimus, multis ta-
men beneficijs à benigno principe cumulati & affecti
simus: vtiq; si pijs manibus Illustrissimi principis pa-
rentaremus, nec abs re nos, nec quicquam inconueni-
ens facturos spero. Siquidem, vt gratam apud nos
principum benè meritorum memoriam conseruemus,
pars obedientiæ & gratitudinis non minima esse vide-
tur. Itaq; quod pietatis & obsequentissimi studij cau-
sâ facimus, id qui reprehendat, puto fore neminem.
Paucis autem exponam Ill. dominum, D. Iohannem
Ducem Megapolitanum &c. principem fuisse opti-
mum, vt imago virtutis & pietatis in ipso nobis expres-
sa & proposita esse videatur. Deinde vbi dixero, quæ
humanitus eueniunt, ea, veluti homini propria nullam
in se reprehensionem continere, causas luctus expo-
nam grauissimas & iustissimas. Deus opt. max. men-
tem & linguam meam regat ac gubernet, vt vera & fa-
lutaria, vili quamuis orationis stylo consequar; vos au-
tem

tem vt me benignè atq; humaniter æquis animis audiatis, etiam atq; etiam rogo.

Quęcunq; fortunę corporisq; bona magna & præclara homines putant, & admirantur; ea huic principi contigisse omniã, in confesso est.

Familia Ducum Megapolensium, siue vetustatem gentis Henerę spectes, illustrissima à multis iam seculis fuit, & etiamnum est: siue claritatem generis consideres, venerabilis, & in magna semper fuit auctoritate. Multos illa Heroas præstantissimos & patres patrię optimè meritos produxit, dedit, & generi humano salutare protulit. Itaq; si quid ad virtutis laudem facit familię illustris atq; splendidę commendatio, vti mē hercules facit plurimum; vt velut causa suo effectui, ita geniculum suo generi seu stirpi mutuò correspondeat: nihil sanè in hac re desiderari posse videtis, quod non principi nostro pulcherrimum & optatissimū contigerit. Familię decus habet summum, & laudē maiorum suorum retulit inclytam; non iactatione generis, sed suę proprię virtutis similis & ferè exsuperantis commendatione. Quid dicam de parentibus? Talem virtute, meritis, pietatis zelo, ac iusticię iurisq; amore et studio celebrem habuit patrem, qualem vix alia similem protulit ætas principem, bonum, literatum, Dominum Iohannem Albertum Ducem Megapolitanum, qui sceptrā suę Reip: ita moderatus est sapienter, vt nullam Tyrannidis speciem reliquerit, sed comitatis, benignitatis, clementię, & mansuetudinis exempla erga suos & peregrinos ostenderit quàm plurima. Hoc ergò patre bono, pio & inclyto satus est noster princeps Iohannes felicissimę recordationis.

Matrem habuit Annam Sophiam, cuius pijs mani-

A 3 bus

bus quomodo parentauerimus ante annum, recens vobis est memoria; filiam illius magni herois & verè patroni Ecclesiarum Borussiae Alberti Ducis illustrissimi.

Quin & primus suâ celebri virtute & singulari atq; excellenti sapientia, auctoritate & prudentia terras Borussiae suæ subiecit ditioni, & in familiam Marchionum Brandeburgensium hanc successione beatæ spem introduxit: sic omnium vnanimi consensu & suorum hominum & exterorum populorum summa laude ob infinitas, quas illi prouinciæ attulit utilitates commendatur & celebratur. Vtrobique ergo & ex lineâ paternâ & maternâ augusta sibi familiæ decora contigerunt: & proinde, felici præclarissimæ stirpis commendatione, hic planè beatus fuit princeps.

Natus est Dux Iohannes Anno Christi 1558. Eheu vitæ quàm exiguum tempus contigit Heroi nostro verè inclyto, iniquis curis miserisque morbis, aufugit ocius Euro. Sed enim princeps noster non solum à puero præclaræ indolis specimen & in vultus suauitate, & in oris eleganti specie retulit, vt generosæ stirpis surculum vigentem agnosceres: sed etiam præclara honestæ disciplinæ studia tractare etiamnum puer cepit, & singulari amore ijs delectatus est.

Cæterum dum horum recordor interius, felicitatem quasi illius beati temporis præ oculis videre videor. Oh quantum patri obortum est gaudium ex læto nuncio, qui primus renunciauit patri elegantem ei natum filium: sed quantò parentibus natiuitas eius gratior & iucundior fuit quantoq; tota simul prouincia, nato sibi nouo principe, magis gauisa & lætata est; tantò nunc luctus maior omnium ex morte eius contigit, quòd in medio cursu optimus princeps à nobis disces-

19

discessit, quòd spes nostra tam celeriter præcisa est quòd, cum minimè sperassemus, gubernator catus & fidelis nobis ereptus est. Spes hæc non dubia omnium nostrum fuit, fore, vt sub vmbra alarum virtutis, pietatis & auctoritatis eius diu essemus salui & incolumes, & ab omni externo impetu conseruaremur liberi. En verò quid iam? Lachrymæ oboriuntur oculis. Cesso ego quidem illachrymari, sed res ipsa non item sistit lachrymas, & plenior consideratio ipsius rei facit, vt animus ferè obstupescat. Et hæc mala publica singuli intelligimus verè domestica esse, quæ maiora sunt, quàm vt vel lachrymis declarari, vel oratione exprimi possint. O stupidos nos homunciones, qui tam securo animo publica damna transimus; & non prius ea nos attingere putamus quàm vbi nos miserè confecerint. Sed siste mens querelas, sat est attigisse.

Princeps noster dulcissimæ memoriæ infans non à nutrice quadam, communi vt solitum est sed malo more fieri, verùm ab ipsa sua generosa matre ablatatus est, vt sanguine satus erat illustri, è suauissimis quoq; fontibus ex corde materno scaturientibus lac generosum sugeret, innatam puta morum probitatem & heroicam vim præstantissimæ naturæ. Nec enim frustra quicquam natura condidit, vel potius naturæ auctor Deus.

Infans ergò quamuis princeps noster fuit, nec, quod videbat, intellexit: Tamen orationem Dominicam & cœtera capita doctrinæ Christianæ paucis verbis, expressa linguâ quamuis tenerâ, quamuis balbutienti, didicit & recitauit. Hæc fuit in infante voluptas matris, hoc leuamen patris in summis & acerbis scæpe malis, quæ pertulit bonus princeps multa & varia,
Quòd

quòd sui corporis pars , & in quo alter ipse cresceret,
Deum laudare posset. Siquidem & ipse Deus opti-
max : & benignus pater hoc se cultu puerilis & ineprae
laudationis magis, quàm multis holocaustis & sacrificijs
delectari testatur, & hæc liberorum suauitas sibi
placet. Storgen enim amat , qui ipse est Eustorgus
pater.

Quemadmodum ergò cor tenerum pueri pieta-
te in DEVM per optimorum parentum diligentem
curam imbutum est ; Sic adolescens, nihil prius quàm
pietatis exercitia ; sic vir factus , nihil antiquius , quàm
religionis veræ curam habuit , eamq; semper cæteris
rebus omnibus anteposuit ; nec quicquam sibi ante a-
gendum putauit quàm si oratione & consuetis preca-
tionibus Iehouam compellasset. O pium pectus ; O
princeps sacratissime ; O nos miseris, quod tanto pie-
tatis exemplo & religionis cultore , tam intempestiuo
tempore priuati sumus. Sic quæ interius dolet mens,
non faciliè à querelis abstinet, sed progrediar.

Quoniam verò illustrissimus pater Princeps Io-
hannes Albertus, vti ipse literis bonis non leuiter erat
tinctus & eruditus , faciliè intelligebat studia honesta-
rum disciplinarum magnum non solum vitæ adiu-
mentum hominibus præstare, veluti quæ & res secun-
das ornant , & aduersis perfugium & solatium præ-
bent : sed etiam in religionis causâ & in Reipub : gu-
bernatione magnum earum vsum patere , tam vt iudi-
cium in grauissimis rebus feratur rectum : tum vt in
deliberationibus imperij publicis, sensa animi prin-
ceps ipse rectè enunciare possit : magnâ profecto cu-
rà, & summo studio Illustrissimus princeps Iohannes
Albertus in id incubuit , vt à primis vnguiculis no-
ster

19

ster Princeps, qui & nomen Iohannis & indolem patris referebat, eleganter & rectè institueretur. Hanc ego partem ætatis multis pertractare verbis superuacuum existimo; quoniam & rationem institutionis ipsi nouistis, & qui præceptores Illmi. principis nostri fuerint, viri clarissimi, ab ingenio, à virtute, ab eruditione præstantissimi, eorum nomina memoriâ tenetis.

Quid dicam de clarissimo viro & verè magno huius ætatis philosopho, Domino Iohanne Caselio? Quantus hic vir ingenio & doctrinâ! omnium consonant voces, vt me planè silere par sit.

Hos viros magnos, & singularia doctrinæ, ciuilibus sapientiæ ac virtutis exempla princeps noster præceptores, & primæ ætatis suæ informatores habuit. Quid igitur dubium ne est, quin optimam hi præstantissimi viri indolem illustrissimi adolescentis rectè informarint, docuerint, & ijs omnibus artibus exercuerint, quæ ad Deum & virtutis curam ducant elegantissimè? Nam hominum maximè heroicorum animis diuinitus quædam semina infundi solent: quæ si bonus cultor excipiat, in bonam frugem procedere, & præclarum atq; singulare quiddam proferre solent; vt ea subditi pariter & exteri homines vt frui possint, magnâ cum suâ vtilitate & voluptate. Sin vero malus quispiam cultor illa semina excipiat, non aliter quàm humus sterilis & palustris necat, ac deinde creat purgamenta pro frugibus, vt pestis Reip: existat ille, de quo spes salutis & publicæ prosperitatis concepta fuerat; vt id ipsum exemplo Caligulæ, Caracallæ & aliorum sit manifestius. Et deinde Neroni, mutatis post quinquennium moribus, nec optimi præceptoris institutio quicquam profuit: ô quanta hu-

B

manæ

mani pectoris est peruerſitas. Cætero quin in noſtro
principe & bona fuit indoles, & animus rectè ſecun-
dum Deū & virtutē informatus ac imbutus, vt meritò
primis eius informatoribus ad huc gratiæ debeantur.

Hic aduertant principes, ſi beatum & facundum
contigerit matrimonium, quòd iſtis prima ſobolis rectè
educandæ cura eſſe debeat, non uulgaris ſed quantò
feri poteſt maxima. Multorum enim ſaluti, imò
toti patriæ hæres inferuit, commodo & ornamento
eſt, ſi benè ſuccedat.

Aduertite huc vos iuuenes, vitam nobis, Deo crea-
tore, à parentibus dari ſcitis; vt quoties vitæ recordami-
ni, quam ipſa natura fecit ſuauiſſimam, toties gratiam
vos parentibus debere agnoſcatis. Ideoq; ſecundo
poſt ſe loco parentes coli & venerari debere, Deus ipſe
præcepit. Sed quid eſt vita ſine litteris? viui homi-
nis ſepultura, ait Seneca. Itaq; cum præceptores
boni ac fideles animum in forment, & verè nos homi-
nes eſſe faciant: facile intelligitis, veriſſimè dixiſſe ma-
gnum illum Ariſtotelem, Parem gratiam parenti-
bus & præceptoribus referri nunquam poſſe. Præ-
clarum ergò & memorabile apophtegma fuit noſtri
principis, quòd Deo aliquoties gratias egit, quòd ſibi
parentes pios & præceptores bonos dedidiſſet. Cum
enim grauiſſimæ sæpè cogitationes animo eius ob-
orerentur, quantum ſcilicet onus, delato ſibi imperio,
impoſitum eſſet, eius ſuſtinendi & ſufferendi in Dei
inuocatione et in præſidio literarum maxima momen-
ta propoſita eſſe, non obſcurè intelligebat. Ita quip-
pe naturâ comparatum eſt, vt quantò præſtan-
tior & excellentior eſt mens in homine, ran-
tò magis ſollicitè ſuum faciat officium: & planè bo-
næ

19

næ mentis est, ibi agnoscere culpam, vbi culpa non est. Sed redeat, vnde deflexit oratio. Sic ergo principem nostrum institutum scimus, vti ab Homero Achilles à suo præceptore Phœnice educatus scribitur, vt esset ῥήτωρ τῶν λόγων πενηκτὴρ πὶ πάλιν ἔργων.

Vtrumq; sanè animi præclarum munus, vsu & obseruatione in nostro Principe confirmatum non defuit. Nam eloquentiæ præceptis sic erat instructus, vt & ornate & promptè dicere vtraq; linguâ, latinâ & germanicâ posset. Sic porro ipsis factis excellentem suam virtutem nobis probauit, vt publici luctus & summi omnium mœroris hæc vel præcipua sit causa, quod tanto tamq; erudito principe diutius nos frui facta non siuerint, qui vt consilio prudenti domi, sic iusto imperio foris Reipub. Christianæ magnam vtilitatem adferre potuisset. Tanta in ipso morum grauitas fuit, vt non solum vultus ipse eleganter & modestè compositus dignitatem præ se ferret admirabilem: Sed etiam constantis, & veracis animi harmonia pulcherrima ex eo apparuit, quòd adeò comis, adeò sermone blandus & humanus fuit, vt suo alloquio dedignatus fuerit neminem. Nihil ergo præclaræ maiorum dignitatj innitebatur, vt vel inolesceret, vel alios præ se contemneret: sed magis nature vim respexit, quæ parem omnium facit esse conditionem, cum ex eadem humo omnes sint creati, & in eandem humum omnes sint reuersuri. Quin verò hæc omnia fortunæ bona per se æstimata, caduca & fragilia rectè existimabat, & nisi virtutis splendore ornentur, nihili pendenda esse, non insecitè censebat, En philosophiæ virtus maxima! sibi constare posse; & nihil admirari, quod per se magnum non est.

Nec porro dubitauit optimus princeps, maioris

B 2

ingenij

Ingenij cultus gratiâ, ad alias proficisci terras. Si-
quidem qui multas vidit terras, multorumq; homi-
num mores, ingenia, instituta cognouit: eum multa-
rum sibi rerum peritiâ comparare posse verifimi-
le est.

Prudenter etiam secū reputauit, & planè secundū
sapientum sententiam Heros ille singularis: nullam
esse rem, quæ magis animos honesta induat ac dubios
& in prauum inclinantes ad rectum reuocet, quàm
est conuersatio bonorum hominum. Itaq; & in Aca-
demijs vixit optimo præceptore sene & multarum re-
rum perito lobo Magdeburgense vsus, multumq;
doctissimorum virorum consuetudine & familiaritate
delectatus, eorum sibi beneuolentiam comptis & e-
legantissimis moribus suis summâ cum auctoritate
conciliauit: Nihil cyclopicæ arrogantia aut fastidij
vulgarium hominum in sermone, aut gestibus osten-
dens. O exemplum principalis institutionis egregium!

Deinde in aulam Electoris Saxonie Augusti
pię memorię Herois illius præstantissimi, & cuius
tunc summa in toto imperio Romano erat auctoritas,
morum sanctitas, & circa veram religionem promo-
uendam solers quędam sedulitas, venit Princeps no-
ster, vt nunquam à latere senis discedens, artem impe-
rij moderandi, quod sibi in patria, vice patris defun-
cti, destinatum erat, exemplo rectius quàm Rhetorum
præceptis disceret.

Interim autem dum patriâ absuit, non in luxu,
non in ocio florem ætatis consumpsit, vt iam ferè stu-
dij solum peregrinatio in anarchiam morum desine-
re solet: sed, vt semel animum induxerat, optimis
artibus discendis & meditandis totus incubuit.

Nec

19

Nec verò silentio innuoluam, quòd, quantum-
uis adolescens, multas animo curas, multasq; sollici-
tudines habuerit, Res planè constat, causæ latent. sed
ita se vita, moribus, sermone composuerat, vt, quid
animum eius torqueret, vel planè non cognosceretur,
vel admodum obscure. Cum aliquando Dresdæ sub-
tristior esset, & quidam ex comitibus, qui tunc fortè
aderat, ipsum rogaret. Illustrissime princeps, quid
ita alta ducis suspiria? quid animo obuersatur tuo?
Illud ipsum, inquit, quod alto pectore concoquo, &
forti pectore perferendum censeo. Difficile enim est
suum vincere animum, & cum fortunæ bona torquent
& asperior eorum cura mentem huc illuc rapit, sic se
componere posse, vt quicquid fortuna tulerit, perferat
quis fortiter, spem bonam fouens, omnia in melius
tandem desitura, certè grauissimum onus est.

Postquam verò princeps noster iustam iam æ-
tatem compleuerat, & artibus bonarum literarum &
imperij tuendi & conseruandi peritiã satis instructus
videretur, Sceptra ipsi & Reipub: gubernandæ iura
pro ea parte regionis Megapolitanæ, quam pater feli-
cis recordationis Iohannes Albertus tenuerat, cõmu-
ni accedente tutorum & patru sui Illustrissimi princi-
pis ac Domini D. Vldarici Principis nostriclementissi-
mi ac fratris Sigismundi consensu, atq; omnium pro-
uincialiu summis votis concessa sunt. Quæ sic ille tenu-
it, vt diutissimè illum tenuisse maxima omnium vo-
ta fuerint: Sic ille iura imperij administravit, tũ in Ec-
clesia, hospitium felix, tranquillum, & fœcundum ei
tribuendo: tum in Repub: omnium & singulorum
utilitates, causas & commoda quærendo, decidendo,
inuestigando, vt reuera magnus & optimus princeps

B;

suo

fuo merito appellari possit & debeat. Quid ? dicane ? communis hæc quidem laus est ducum Megapolensium , sed verè magna, verè amplissima, quòd adeò iuris & iustitiæ amantes sunt, adeò publicæ utilitatis studiosi, vt causis audiendis in publicis Dicasterijs ipsi vacare & assidere malint quàm suis consiliarijs, quibus tuò possent, tantam rem committere. Siquidem suâ præsentia & vultu benigno spondent, qui vereatur , iure aduersus quemcunq; etiam potentem experiri, debere esse neminem ; Laudabile tamen id ipsum est in nostro principe , quòd præclara maiorum suorum & optimi herois patris sui exempla sequi, et nec quicquam à maioribus in eo, quod pulcherrimum atq; legum custodi maximè conueniens est opus, degenerare voluerit. Vidi ego, vidi his meis oculis ; testari ergo eò certius possum ; principem nostrum per integrum triduum iudicio summo Suerini habito scèpius præsedisse tantâ cum attentione animi, vt ad singulas causas mihi aduertisse videretur. Nec mora diuturna molesta fuit principi, qui cum gratulatione quadam, ius & iusticiam in suâ prouincia administrari posse, gratus agnouit. Siquidem hoc *κεμήλιω* & verè omnium præstantissimo thesauro multæ aliæ olim satis florentes regiones iam carent : & idcirco suam miseriam eò maiorem esse agnoscunt, quò magis præsidio violentiæ sistendæ priuati sunt. Hunc ergo res ipsa delectabat, vt quæ extrinsecus vel ex temporis interuallo, vel ex contentione & strepitu causas defendentium acciderent, leuiter ac placidè ferret. O principem verè pium ! O magnum iustitiæ cultorem !

cur

19

cur te fata tam subito tulerunt? cur nobis inuiderunt? Eheu quid dicam? Nostrâ culpâ id factum est, quicquid factum est.

Totum illud tempus imperij eius quid fuit? tranquillitas fuit cum summâ iuris æquabilitate coniuncta. Quid mores huius optimi principis? Thesaurus præclaræ virtutis. Quid vita? imago & Typus optimi principis. Meritò igitur hunc principem suspicimus maximisq; efferimus laudibus, in quo tam multas excellentes & singulares virtutes perspeximus.

Vita hæc principis nostri, si animi dotes & præclaras virtutes spectes, satis beata fuit: si communem hominum sortem cogites, tantò difficilior vita fuit, quantò ille diligentius rationes omnium subductas perspectasque habuit. Siquidem singulis momentis secum meditatus est, id sibi euenire posse, quod cuiquam homini euenit. Quâ conditione viuamus, audite Plinium. Incertum, inquit ille, ac fragile est hoc munus naturæ, quicquid datur nobis. Malignum verò & breue etiam in ijs, quibus longissimè contigit vniuersum hoc vitæ tempus intuentibus. Quid? quòd æstimatione nocturnæ quietis dimidio quisq; spatio vitæ suæ viuit. Pars æqua mortis similis exigitur, aut poenæ, nisi contingat quies: nec reputantur anni infantia, qui sensu carent, non senectæ in pænam viuacis. Tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties inuocatâ morte, vt nullum votum sit frequentius, hæc ille. Quid inde concludendum? Id quod res est, & rectè dixit Eurip. ὁ βίος ἀληθὴς ἔβιος, ἀλλὰ σύνφορος
Hæc

Hæc vita nomine vita est, re ipsa labor. Quis ergo est, quem extra aleam humanæ sortis esse positum dicere possimus? Quis tam parum dese cogitans est, qui non dicam ita sentire, sed saltem mente sua versare audeat, hoc vel illud genus mortis, pœnam esse? cum à tergo mors insequens omnia rapiat. Itaq; non disquirere oportet, quomodo quis deficiat, sed vtrum in Deo quis mortuus sit: in eo totius rei momentum consistit. Quamobrem quantò quis sapientior est, quantò rerum omnium magis gnarus est, tantò hæc secum reputat diligentius: vt exinde rectè meditatio mortis, perfectâ dicatur philosophia. Cleombrotus adolescens Ambraciota Philosophus cum Platonis librum, quem ille de animæ immortalitate scripserat, diligentius legisset, & beatiorẽ aliam vitam restare cognosceret, perlecto libro mox se, desiderio alterius vitæ, & vt ex hac miserâ vitâ liberaretur, se præcipitem dedit. Non idem quidem Christiano homini varijs fortunæ casibus afflicto faciendum censeo, sed potius expectandum esse, vt qua eum Deus statione collocavit, reuocet, nec iniussu imperatoris inde recedat. Coeterum quod necessitas, quod morbus, quod affectio mala cogit, persuadet, non est producendum in consequentiam. Eheu quàm fragiles sumus omnes! qui putat se stare, en quam mox cadit infelicitè! Qui regnat fastuosè, en mox in puluere confidet mestus! hæc diuinæ maiestatis sunt opera, rationi quidem humanæ incognita, iustissima tamen.

Quamquam ergò animum quis habet generosum, multisq; sapientiæ & virtutum præceptis imbutum, quibus vitam benè beateq; degere possit. Tamen adeò quotidie multa & varia incidunt mala, quæ

19
quæ non solum sapientissimi etiam viri pectus perturbent, ut habet proverbum, *αἱ παραχαὶ περιέπλεσαν καὶ τὸ σέφους*: sed etiam sæpenumero evertant. Nec enim leues sunt pugnae virtutis & affectuum. Hic, hic tu si Trophæum ponas, magnus, verè magnus es Philosophus. Maxime, si mendax ille ab initio Sathanas suas aduersus te simul experiatur vires. Iam ergò nisi ardens & deuota ad Deum precatio instituat, & nisi aura diuini numinis aspiret, verendum planè est, ne non solum manus dare cogaris, sed etiam prorsus desperes. Itaque nihil est quod de virtute, de pietate, de religione multa loquaris & gloriaris, hæc te experimenta ostendent, quis qualisue sis. Hem beatus es, qui ignoras qualia hæc sint tentamina, quàm aspera sint examina.

Hem cautè prouideas, orando, precando, obtestando, ne in illa vnquam incidas. siquidem quæ homini accidunt, eadem tibi quoque accidere posse non diffiteris. Nihil ergo alij exprobres. nam vltio diuina mox præsto est.

————— Et quæ tibi læta videntur,
Dum loqueris, fieri tristia posse, puta
Sed de his hæctenus.

Quoniam verò noster princeps pietatis, virtutis & sapientiæ non simulate sed verè diligens erat cultor, singula animo altius euoluebat: nec, quæ animum eius torquerent, facillè alijs communicabat: ut sæpe ex suavi sermone magni doloris medicina adhiberi solet: inde factum est, ut si quid negocij difficilius incidere, quemadmodum hæc tempora adferunt insperata plurima, cogitationem eius ille suscipere altiorrem quàm vulgus hominum solet. quocirca varias

C

ille

ille semper animo curas & sollicitudines versabat: quæ quod non omnia, quæ cogitarat optimè, ad voluntatem suam cadebant: quæ quod tristitiæ domesticæ adiunctæ erant quædam cordis compunctiones, liquidem hæc perpetua Christiani hominis est conditio: intus pauores, foris pugnæ.

Quid multis? inter gemitus piorum & vota salutis certissima placidè in Christo obdormiuit ille princeps, qui Christi amantissimus cultor, veræ religionis defensor & certissimus patronus fuit. Ergò in Paradiso beatâ huius principis pijs, boni, præstantissimi animâ esse & æternâ atq; iucundissimâ illâ consuetudine Dei atq; conspectu saluatoris nostri Iesu Christi frui, pro certitudine fidei Christianæ, nequicquam dubitamus.

Quid reliquit hic, exuuias corporis, quid? terram. quid? luctum omnibus nobis maximum & grauissimum. Dignum sanè tantâ virtute optimi, beati Herois, quamuis non satis dignum, opus facimus, quòd in honestissimo & frequenti hoc cœtu, principis optimi & maiorum eius memoriam recolimus, cuius corpus, quod veri ac viui Dei fuit habitaculû, in sepultura patrum hodie solenniter Suerini deponitur. Nihil verò est, nihil planè est, quòd eius causâ mœreamus, gaudet ille se multis magnis malis & periculis liberatum, gaudet se in perfectione esse, gaudet se tanto gaudio frui, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis vnquam penetrauit. Terram nobis reliquit bonus princeps, vallem erumnarum, in qua tamen sic tumultuamur, sic inquietè viuere contendimus, quasi perpetua hic nobis sedes futura esset. O insensati! momento fit mutatio, mox mox, dum respicis, adest eternitas,
mens

19

mens verè beata! quæ æternitatis huius adipiscendæ
in sanguine Iesu Christi purgata, in fide & veritate, ra-
tionem certam tenet. O homo verè sapiens est, qui se
mori quotidie discit, vt nunquã mortuus esse dicit po-
ssit. Hæc vita differt à morte nihil, ideoq; vir pius sem-
per mori vult, quia huius vitæ & mortis nulla est diffe-
rentia, imo transitus est mors ad beatorẽ æternæ vitæ
statum. Certè si alia melior vita non superesset, in qua
bonis benè esset omnium essemus miserrimi. Sed esse
credimus certè, & fides Catholica ita persuadet. Nihil
ergo mori cunctamur, nullum mortis genus triste,
nullum asperum Christiano homini videri potest.

Quid ergò lugemus? causæ sunt plurimæ, quo-
cunq; lumina verteris, videbis luctum, luctusq; gra-
uissimam causam. In aulam principis conuerte oculos,
quanta ibi solitudo! omnes anguli boant, eheu quantus
nobis discessit è vitis princeps: ministri, consiliarij om-
nes taciti sedent & silent, quid ita? maior est intus in
animo ipsorum dolor, quàm vt vel lachrymæ, vel vlla
querela eum testari possit: Quantò enim amor erga
principem sincerior fuit, tantò iam dolor interius
pungit & vrit acrius. Quid filioli duo Adolphus
Fridericus & Iohannes Albertus, indoles heroica op-
timi & iam beati Herois Ioannis: Vbi pater noster, in-
quiunt infantes, qui dabat suauiola, vbi est ille noster
papus, nonne mox reuersurus est, mater nostra? Quid
respondes, cur taces? mater, lachrymæ prohibent O
filiij, inquit, acquiescite: precamini, vt vos pater docuit.
Quid? dicamne? quantus dolor in coniugis optimæ
Heroinæ pectore sit, à cuius latere mors seua tam su-
bitò suauissimum maritum auulsit. Amplius quadri-
ennio in matrimonio vnâ non vixerant: & hoc tem-

Cz

pore

7
t empore auulsit, quo auctoritate, consilio, praesidio
mariti, suâ suorumq; liberorum causâ vel maximè
opus habere videretur. Quis feret, inquit iustinia-
nus Imperator, liberòs à parentibus, à fratrib, sorores,
à viris coniuges separari? At verò iam planè, qui
in suauissimo vixerant coniugio, separati sunt. Hæc
compunctio cordis fidelis ac castæ coniugis maior est
quàm vt vlla oratio exprimere, aut vlla ratio assequi
possit. Nam vinculum non est duntaxat ciuile, con-
iugium, sed naturale est, sed diuinum est: & quantò
arctius fuit tantò dissolutum insperatò angores, curas,
solicitudines creat maiores & vehementiores.

Sed quid iam! ecce tres videre videor mulieres
formâ quidem liberali & egregiâ, sed veste squalidâ
& pannosâ, eheu, inquiunt, quantum nobis accidit
malum! religio est, ni fallor, iusticia est, & illa alma, ex
vestro ordine procedens, philosophia.

Quantû spei, inquit RELIGIO, in hoc principe po-
sueram: nam summa in ipso erat mentis sinceritas, &
perfecta virtus; ei me commendaueram, ille me in
suam certam fidem susceperat suoq; patrocínio pro-
texerat benignè. Sermo eius, cogitatio, meditatio,
fuit de religione, vt ego pura puta ab omni hæresi &
offensione, scandoloq; conseruarer, & quàm pluri-
mis populis in almâ eius Academiâ ex verbo Dei re-
ctè declaratò innotescerem. Meâ etenim causâ or-
dinem ille Ecclesiasticum & politicum à patre rectè
institutum conseruarat apprimè. Hic princeps, me-
us fautor, meus patronus, meus hospes magnificus
obiit, decessit, defunctus est vita! Sed piè rament, sic
enim docui illum, hoc ipsi *καμήλιον* non ingrata hospes
contuli, vt in corde non minus quàm in sermone
Iehouæ

19

Iehouæ nomen seruaret, qui iusticia eius factus eum in æternam deduxit beatiudinem. Votis si quid possem, hunc principem tam sincerâ mente verbum Dei meditantem, tam apertâ fronte quid sentiret indicantem, superstitem esse optarem maximè, magnum ille decus mihi religioni orthodoxæ attulisset, magnum auctarium multis suo exemplo ad salutem eruditus adieciisset, iam verò de voluntate Dei hoc cum factum esse sciam, ei ac lubens acquiesco; nouerit ille suæ Ecclesiæ conseruandæ rationes iustissimas.

Sed quid tu veneranda virgo, quæ vultu seверо gladium libramq; tenens ius æquū rectum dicere soles, quid mæres? quid tu antistes, qui antecedis senex venerande, LEX, quid luges? quid caput concutis? quid agis? princeps mei amantissimus Dux Iohannes obiit diem. Nonne ego flerem, non lugerem, non mererem? eius ego non subsellia solùm, non iudicia duntaxat, sed animum occuparam & imbueram, vt spem certam fouerem, illum iusticiæ & iuris perpetuum & seuerùm fore administrum. siquidem ille cognouerat, legerat tam è sacris iuris libris quàm ex duabus decalogi tabulis; quid fædum factu, quid fœdum dictu, quid fugiendum, quid sequendum, & sic animū induxerat, vt maius imperiò esse crederet legib. subijcere principatum. Et ego IUSTICIA sic animum eius informaram, vt voluntate esset certâ & constanti, & vultu severo ac graui perinde ac si me ipsam vidisset, iudicijs ille præsideret. Blando autem & comi vultu erga supplices esset: Sic eum instituerat humanitas, sic præcepèrat Antistes throni, clementia. Eheu parca! si la præclari operis, heu opera præclarae felicitatis in repub; publicè ac priuatim futuræ

futurae nimis celeriter, nimis asperè praescidistis.

Ex vestro iam ordine procedit illa senio confecta, multis instrumentis onerata, sp̄ et honorem secū adferens, PHILOSOPHIA, sed vultu planè obrecto, vt quem animo dolorem habeat, se externâ specie testari non posse fateatur. Ociues, inquit, quàm vos beatos existimabam, quòd in nostris castris instructum & benè eruditum nostris disciplinis habuistis principem, qui nostri honoris tam erat cupidus, tam studiosus, vt & ἐφόδιον vobis nostri cultoribus dare sufficiens, & in locum eorum, qui ad meliora fata iuerunt, substitueret alios. In eius fide ac beneuolentiâ acquiescere potuimus omnes, qui saluâ religione & administratâ iustitiâ, quæ duo vitæ munia veluti muros nostri gregis tuendi & conseruandi agnoscimus; Halcyonia vobis, diuinâ fauente gratiâ, concessit docentibus & discentibus gratissima. Hic princeps bonus, liberalis, iustus, & pater patriæ iam defunctus iacet. Nobis ne timor & tremor obrepit? Lugemus meritò-

Sed tamen quod vereamur, non est. Quam diu ille Nestor ætate, Nestor sapientiâ, Nestor auctoritate, princeps optimus, & præstantissimus Heros Dominus Vldaricus viuit, vtiq; noster grex saluus & incolumis manebit, & nostræ sorores, Religio & iusticia, vigeunt & floreunt.

Quid deinceps futurum sit, quòd duobus principibus vno tempore tam subito priuamur, non est, quod nos anxie disquiramus. Futura enim obscura sunt, & nullius mentis acie satis perspicere possunt. Optima auguremur, optima speremus, quia Deum optimum & maximum salutis & vitæ in Iesu Christo
aucto-

19

auctorem & defensorem habemus. Et exinde in
hac vota erumpamus. Iehoua, qui mirandâ sapi-
entiâ vniuersum hunc terrarum orbem condidisti &
conseruas, qui imperia constituisti & custodis, vt tua
Ecclesiæ hospitium detur, & Halcyonia docentibus
& discantibus verbum tuum conseruentur, respice in
nos, neq; secundum magnitudinem peccatorum no-
strorum nos punias, sed secundum multitudinem mi-
serationum tuarum nostri miserearis. Da pater op-
time, vt puræ religionis doctrina, vt certa iuris &
iusticiæ administratio, vt bonarum literarum studium
in hac almâ Academiâ & totâ prouinciâ Megapolita-
nâ vigeat & floreat. Conserua nobis senem princi-
pem Illustrissimum Dominum Ducem Vldaricum,
& quos reliquos nobis dedisti principes, ne capite
priuari, alijs gentibus spolio & direptioni fiamus.
Iesu Christe redemptor humani generis misere no-
stri. Et tu vnice paraclete, spiritus sancte, da fidem,
da constantiam, da pacem & æternam salutem: & re-
ge nos & conserua nos, vt hi cœtus tibi pla-
ceant, & nomen tuum, Iehoua, in omne
seculum inuocetur & glori-
ficetur. Amen.

Dixi.




Σ Τ Α Ρ Γ Α Ρ Δ Ε Ι Α
 ἀναγραμμισμῶ
 Δ Ἴ Ε Γ Α Ρ Α Ξ Τ Ρ Α
 ἑαυτῆς πένθος κερτίζουσι.

Ὅ ἴη λεύκη ὑπὸ σκιοέσση ὀδύρετ' ἀήδων,
 τῶν τέκνων, κλαίουσ' οἴκτρα, ἀφαιρομείων.
 Τοιῆ Στάργάρδε' ὀλοφύρομ' ἐμοῖο θανόντῳ
 ἡγεμόνῳ, πάντως πατρὶ ὁμοίου ἐῶ:
 Εὐνομίας, καὶ Αονίδων, χαρίτων τε, Θεοῦ τε
 ἐλπίδῳ, ὀφθαλμοῦ, κῆρῳ, ἔρωτῳ ὁμοῦ.
 Ποῦ κῦδῳ μου ἸΩΑΝΝΗΣ; ποῦ εἴμμα; ποῦ ἔλλαρ;
 ἦρῳ ἐν ᾠρῃ (Φεῦ) Φῶς λίπες ἡλίου.
 Σαυτῶ ἔχων βίοτιο ἔαρ πλύκροτον ἦδη,
 αὐτῶρ ἐὼν βραχὺ ἦρ ἡλαχες αἰδίου.
 Δ Ἴ Ε Γ Α Ρ ὦ Ἡρώς, δέδοται πίσ' εἰστρούνη
 ΑΣΤΡΑ ἔχειν ἄλλακ ΧΡΙΣΤΟΝ ὄπρ᾽ἀνιον.
 Μαψιδίως πὶ μὲν οὐὶ ἀναλύζω; ἐῶ ὀλολυγμίν:
 χαῖρε σὺ: ἔμπαλιν ὦ Φίλῳτε χαῖρε πάτερ.

Interpretatio Latina

Q Valis sub umbrosa populo mæret Aëdon
 Miserabilem, raptis pullis, edens sonum
 Talis Stargardæa lugeo mortuo meo
 Duce, omnino tuo simili patri
 Qui Eunomies, ac Aonidum, Charidumq; Deiq;
 Simul spes, oculus, cor, amor. (pugnaculum?)
 Vbi gloria mea IOANNES? vbi corona? vbi meum es pro-
 Verno (eheu) tempore lumen liquisti Solis
 Tuæ iam vitæ amabile ver habens:
 Sed quod breue est ver æterno mutasti.
 Diuine etenim Heros fide datum est intuënti (astra.
 Christum, munimentum siue præsidium cœleste tenere
 Nequicquam igitur quid singultio? mitto eiulatum:
 Tu SALVE parens carissime, viceq; versa VALE.
 M. Henricus Cerlachius.



Οἱ
 Τοιη Στα
 ἡγεμ
 Εὐνομίης
 ἐλπί
 Πῶ κῦδ
 ἦρ
 Σαυτ᾽ ἐχ
 αὐτᾶρ
 Δ Γ Ε Γ
 Α Σ Τ
 Μαυιδίω
 χαῖρε

Q Val
 Talis Star
 Duce
 Qui Euno
 Simu
 Vbi gloria
 Verno
 Tuæ iam v
 Sed q
 Diuine eter
 Chriti
 Nequicqua
 Tu S

Ρ Γ Α Ρ Δ Β Ι Α
 ναγαμμηλομῶ
 Γ Α Ρ Α Σ Τ Ρ Α

ἡ πένθος κενφίζου.
 κισέση ὀδύρετ' ἀήδαν,
 κλαίουσ' οἰκτρα, ἀφαιρομείων.
 ὀύρομ' ἐμοῖο θανόντ
 πατρὶ ὁμοίου ἐῶ:
 χαρίταν π, Θεοῦ π
 οῦ, κῆρ, ἐρωτ' ὁμοῦ.
 ΝΝΗΣ; πῦ σέμμα; πῦ ἔλαρ;
) Φῶς λίπες ἡελίου.
 κρ πλύκρστων ἦδη,
 β ἡλαχες αἰδίου.
 δέδοται πῖς' εἰσορόνη
 ιαρ ΧΡΙΣΤΟΝ ὀπρεάνιον.
 ἀναλύζω; ἐῶ ὀλολυγμῶν:
 ὦ Φίλατε χαῖρε πάτερ.

pretatio Latina
 populo mæret Aëdon
 , raptis pullis, edens sonum
 mortuo meo
 simili patri
 um, Charidumq; Deiq;
 , cor, amor. (pugnaculum ?
 N E S? vbi corona? vbi meum es pro
 ore lumen liquisti Solis
 r habens:
 ver æterno mutasti.
 datum est intuenti (astra.
 rtum siue præsidium cœleste tenere
 singultio? mitto eiulatum:
 as carissime, viceq; versa VALE.

M. Henricus Gerlachius.